


(186000) miliaria germanica (quadrata scil.) superat. Hæc de Luminaribus cœli, quæ Deus, vt diuidant diem & noctem, atq; mensæ & annos distinguant, creauit.

THEORIÆ B, 4, ET 5.



Hoc Schemate A est centrū eccentrici B C D alicuius ex superioribus Planetis, B, 4, vel 5. E orbis Magni centrū est. Hoc Copernicus pro Mūdi centro accipit, sicut suprā pag. 51. & 137. habetur, istud enim Mundi hypothesium Ptolemæi centro (conuenienti comparatione facta) correspondet. Tertiæ verò parti eccentricitatis A E æqualis est semidiameter epicycli positi ad B, C, & D. Reuolutiones

eccentrici & epicycli Copernicus ponit æquales, & in consequentia, eccentrici quidem simpliciter, epicycli autem parte superiori, contrā verò in inferiore, hac lege, vt epicyclo in B existente, planeta in eius perigæo G versetur: & contrā, illo in D, hic in H sit. Hac motuum paritate fit, vt centro epicycli extra B & D apogæum & perigæum, vt in C, versante, anguli B A C, & K C L (K hic idem, quod illic G vel I, atque L planeta est) sint æquales, vnde N L rectam, assumpta A N æquali ipsi epicycli semidiametro, parallelam ipsi A C, & angulum B N L, angulo B A C æqualem esse necesse est. Quare sicut epicycli centrum circa A, ita Planeta circa N æqualem motum habet. Planetæ autem via, est linea ex G per L in H detorta, quæ circulariter ferè punctum M, triente eccentricitatis E A ab A, ambit. perfectè autem circularem non esse demonstrat Copernicus lib. 5. cap. 4. Hinc illa sunt: 1. quòd Ptolemæus hanc planetæ G L H viam verè circularem putauit, ideoque eccentricum planetæ circa M posuit. 2. quòd eccentricum hunc G L H non circa M pro-

M pro-